



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Priori Sancti Thomæ martyris Aconensis & sancti Georgij de Sisto ejusque
fratribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

edocere. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentius quatenus divina considerationis intuitu de cetero non attententes tibi jurisdictionem in spiritualibus vindicare, ne contra te ac regnum tuum divinam propter hoc provocas majestatem; sed in devotione sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ matris tuæ firmiter perseverans, eidem reverentiam debitam exhibeas & honorem, quæ, sicut pia mater, in iis & aliis necessitati ac utilitati tuæ diligenti sollicitudine providebit, & præfatos Clericos revoces & permittas in terra tua pacificè commorari & sua beneficia liberè possidere, dimittens omnino rancorem quem contra eos propter appellationem ab ipsis ad nos interpositam concepisti; sciturus pro certo quòd nos constitutum de electionibus inter nos & sæpèdictam Imperatricem matrem tuam habitum per totum regnum faciemus solemniter publicari, ut secundùm illud electiones de cetero celebrentur. Caveant autem illi qui te perversis consiliis non metuunt fascinare ne super hoc de cetero malignentur, quia divinam & nostram non effugient ultionem; cùm tolerabilius sit ut humana vindicta percutiat perverfos quàm ira divina in te ac regnum tuum propter eorum iniquitates defæviat, si remanserint incorrèctæ. Datum Laterani v. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

*PRIORI SANCTI THOMÆ
martyris Aconensis & sancti Georgij de
Sisto ejusque fratribus.*

Cum à nobis petitur quòd justum est & honestum &c. usque effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris postulationibus grato concurrentes assensu, loca ipsa in quibus divino estis obsequio mancipati & personas vestras cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum justis modis dante Domino poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem sanctæ Mariæ, sancti Petri, & sancti Nicolai de Campo Anglorum Ecclesias, & hospitale sancti Thomæ, ac possessiones alias, sicut eas justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos ipsis Ecclesiis vestris auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Quòd autem prædecessori tuo, fili Prior, & successoribus suis felicitis recordationis Alexander Papa prædecessor noster cotidiana

num usum anuli, virgæ pastoralis, & mitra in præcipuis festivitibus de sedis apostolicæ benignitate concessit, nos ratum habemus, ejus vestigiis inhærentes. Ad indicium autem hujus à sede apostolica perceptæ protectionis ac liberalitatis duos sarcenatos nobis nostrisque successoribus annis singulis persolveris. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere &c. usque incursum. Datum Laterani iv. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

*PRIORI ET FRATRIBVS
de Tinemvabe.*

Ullis petentium desiderijs dignum est facilem nos præbere assensum, & vota quæ à rationis tramite non discordant effectum prosequente complere. Eapropter, dilecti in Domine filij, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, possessiones vobis pia fidelium liberalitate colatas, libertates etiam & alia bona à clara memoriæ Rege Ricardo & carissimo in Christo filio nostro * Iohanne Rege Anglorum illustri Ecclesiæ vestræ concessa, sicut ea justè ac pacificè possidetis, & in eorundem authenticis plenius continetur, necnon Ecclesias & pensiones earum eidem Ecclesiæ per Metropolitanum & diocesani Episcopi litteras confirmatas, libertates quoque ac immunitates monasterio sancti Albani pro suis cellis concessas, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ, cùm sit cella monasterij memorati, auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ confirmationis infringere &c. usque incursum. Datum Laterani 111. Nonas Ianuarij, pontificatus nostri anno undecimo.

*LONDONIENSI, ELIENSI,
& Wigornienfi Episcopis.*

Super negotio Cantuariensis Ecclesiæ carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Anglorum scribimus in hunc modum. TACTI SVMVS dolore cordis intrinsecus & vehementi mœrore turbati quòd cum ex illa specialis dilectionis prærogativa qua te sedes apostolica diligebat inter ceteros Principes speraverimus ut versa vice rependeres ei reverentiam & honorem, odium ei pro dilectione retribuissis, & quasi conjuraveris in te ipsum, tuo non parcis honori ut nostro valeas derogare, quin immo tuam & famam negligens & salutem,

*Epist. 210.
De confirmatione privilegiorum.*

** Vide Monasticon Anglic. to. 1. pag. 335.*

*Epist. 211.
De negotio Cantuariensi.
Vide gesta 17. no. 111. cap. 131.*

Vide Baron. an. 1097.

*epistolæ
celmi Re-
Hadri-
1 V. apud
tum Sic.*

*lib. 1.
10. 411*